

Johann Barthold Nibbe


**Programma, De Mentis Humanæ Divinandi Facultate, Qvo, Cum Celsitudo Regia, Serenissimus Princeps Ac Dominus, Dominus Adolphus Fridericus Regnorum Svecici Et Gothici ... Dominus Et Princeps Regius Noster Clementissimus Sacro Nuptiarum Solemnum Foedere Junctus Esset, Celsitudine Regiæ ... Ludovicæ Ulricæ, Augustissimi Et Potentissimi Principis Ac Domini, Domini Friderici Wilhelmi ... : Ad Diem [] Augusti MDCCXLIV. Observantissime Invitatos Volut**

Rostochii: Typis Joh. Jac. Adleri, [1744]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1687424454>


Druck Freier  Zugang





*MK-13396. (1)*





Inhalt:

- Crudopius, De laude historiarum. Oratio hab. in schol. Wism. 1624.  
Lippius, De "praceptoris publici conditione." " " " 1677.  
Grussenberg. et Eckhorst, Oratio Alexandri Magni ex Curt. 8, 2 diducta. 1692  
Reimerus, Primitiae Wism. h. e. orationes II. 1723.  
Schomerus, De varia Augustanae conf. fortuna. 1730.  
Nitte, De mentis humanae divinandae facultate. 1744.  
Schomerus, De optimo principe. 1744  
Rönnberg, Ven. Gedenken von den Ursachen der Elektrizität. 1746.  
" " Ausmessung der Faeser. 1747.  
Nitte, " Rom. VIII, 18, 22. 1751.  
Denso, De deteriori schol. conditione. 1754.  
" " Ankündigung einer feierl. Kundigungs Rede. 1754.  
" " Cato scenis non agitandus. 1758.  
" " Von den alten Deutschen. 1768.  
" " (Carmen invitativum) 1765.  
" " (Carmen memor.) 1774.  
Einladungsprogramm. 1799.  
" " 1801. (Groth, Verbindung der Bürger- u. gelehr. Schulen.)  
" " 1804.  
" " 1805.  
" " 1809.  
" " 1810.  
" " 1814.  
" " 1817. (Groth, Luther über Erziehung.)  
Craun, Carmen saeculare. 1817.  
" " 1818.

Ex  
Bibliotheca  
Academicae  
Rostochiensis

Q. D. B. V.  
**PROGRAMMA,**

DE  
MENTIS HUMANÆ DIVINANDI FACULTATE,  
QVO,  
CUM

**CELSITUDO REGIA,  
SERENISSIMUS PRINCEPS AC DOMINUS,  
DOMINUS  
ADOLPHUS  
FRIDERICUS**

REGNORUM SVECICI ET GOTHICI PRIN-  
CEPS HÆREDITARIUS, S. R. J. PRINCEPS ET EPISCOPUS  
LUBECENSIS, HÆRES NORWAGIÆ, DUX SLESVICI, HOLSATIÆ, STOR-  
MARIÆ ET DITMARSLE, COMES OLDENBURGI ET DELMENHORSTI, &c. &c. &c.  
**DOMINUS ET PRINCEPS REGIUS NO-  
STER CLEMENTISSIMUS,**  
SACRO NUPTIARUM SOLEMNIUM FOEDERE  
JUNCTUS ESSET,

*Ex  
Bibliotheca  
Academica  
Rostochensis*

**CELSITUDINI REGIÆ,  
SERENISSIMÆ PRINCIPI AC DOMINÆ,  
DOMINÆ  
LUDOVICÆ ULRICÆ,**  
AUGUSTISSIMÆ ET POTENTISSIMÆ PRINCIPI AC DOMINI,  
DOMINI

**FRIDERICI WILHELMI,**  
BORUSSORUM QVONDAM REGIS ET ELECTORIS  
BRANDENBURGICI &c. &c. &c. &c.  
GLORIOSISSIMÆ MEMORIÆ.  
PRINCIPI FILIÆ

DOMINÆ NOSTRÆ & PRINCIPI REGIÆ CLEMENTISSIMÆ,  
ACTUI SOLEMNI MUSICO-COMICO AUCTORITATE  
AMPLISSIMI SENATUS,  
A PRIMO ALUMNORUM WISMARIENSIS LYCEI COETU, SE DUCTORE,  
HABENDO, PRÆFARI, QVÆVIS PRO INCOLUMITATE PERENNI  
REGIORUM CONJUGUM VOTA FUNDERE,  
O. O. LITTERARUM PATRONOS ET FAUTORES AD DIEM 27 AUGUSTI  
MDCCLXIV. OBSERVANTISSIME INVITATOS VOLUIT,  
**JOHANNES BARTHOLDUS NIBBE,** Hamburg.  
LYC. WISMAR. CON - RECTOR.

ROSTOCHII, Typis JOH. JAC. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.

*Jac. Geyssler, Prof. Seren. Princ. & Acad. Typogr.*



quantum cetera animantia sensu quæ tantummodo  
 moventur, neque ex singularibus, quæ perceperunt,  
 universales sibi formare possunt atque abstractas  
 ideas, præstet humanum genus, vel exinde etiam  
 cognosci poterit, quod, præsentia dum spectat &  
 dijudicat, ex spectatis futura colligat, & rerum  
 fines antecapere, quin imo futuris temporibus  
 eventura prospicere allaboret. Quod cum sit in  
 promptu, facili hinc inde perspici poterit negotio,  
 esse, præter corpus illud vivum, in homine  
 substantiam intelligentem, quæ, ut omnis  
 corruptionis expers & mutationis, sempiterna sit  
 & post mortem superstes, est necesse, quam  
 alias mentem humanam dicere solemus. Ut  
 autem, quæ actui solemnico præfari mecum  
 constitui, de mentis scilicet divinandi facultate,  
 rite explicem, a definitione mentis sum  
 orsurus, quo accuratius eo, quid de divinandi  
 ejus facultate sentiam, enodare possim. *Mens  
 humana itaque mihi (salvis tamen rectoribus  
 sentientibus) est spiritus finitus, a summo  
 Numine extra essentiam suam creatus, corporique  
 vivo animali intime unitus, ut cum illo  
 hominem constituat, & actiones corporis  
 animales ad rationis normam dirigat.* Ex  
 qua definitione patebit, minime me facere  
 a Platonicis, mentem humanam essentiam  
 divinam particulam asserentibus, quæ de re,  
 ut Cicero in Academicis quæstionibus &  
 somnio Scipionis fufius tractat, ita  
 socraticus ille Xenophon in ἀπομνημονευμάτων,  
 seu memorabilium Lib. IV, cum antea, ea,  
 quæ videri non possunt, ea reapse tamen  
 existere, probasset, de mente humana  
 dicit: ἀλλὰ μὴν καὶ ἀνθρώπων γε ψυχῆς  
 ἕνωσες τὴ καὶ ἄλλο τῶν ἀνθρώπων, ἧς  
 θεὸς μετέχει, &c. i. e. *Quin etiam  
 hominis anima, si quippiam aliud in  
 homine, divini cujusdam particeps est.*  
 Nec

Nec sequor disciplinam Scholasticorum, sed crassa sibi persuadentium Minerva, mentem humanam, ut corpus moveatur, animaliter cibum & potum & quæ sunt ejusmodi appetat sentiatque, esse in causa, siquidem, ut credam, hoc in spiritum, simplicem & intelligentem substantiam posse cadere, corpusque adeo meram esse machinam, nullo modo possum adduci. Hinc quilibet etiam intelliget, quam longissime me abesse a sententia fanaticorum philosophorum, aut ita dictorum Theosophorum, qui tres in homine partes essentielles somniantes, spiritum divinæ Substantiæ particulam venditant, ut perfectionem actionum moralium in hac vita, quam prætendunt, commodius eo adstruere possint. Sed ex hoc diverticulo in viam redituro mihi, quam antea exhibui de mente humana definitionem, illa ulterius erit explicanda. Ea quod sit substantia activa, vel hinc inde perspici potest, quoniam de rebus etiam, quas per sensus minime haurire potuit, cogitat, exempla hujus funto, de Deo, spiritibus creatis, ideis abstractis, & quæ illuc pertinent. Proinde etiam illi, quæ Philosophis dicitur, simplicitas, quæ omnis compositionis est expers, competit. Cum autem ex sapientissima Dei voluntate corpori humano intime sit unita mens, ipsiusque, quoniam simplex est, per essentiam non sit, ut sentiat, esuriant, & quæ præterea humano accidere solent corpori, patiat, patebit, humanum corpus meram non esse machinam, sed potius vita gaudere, aut sensibili, quam vitam animale sanguini & spiritibus animalibus inesse, ulterius jam eam ob causam disputare non possum, quoniam non de homine ejusque tota substantia, sed de divinatione mentis humanæ exponere jam est animus. Quo autem omnia, quæ sensibus capiuntur aut ab illis appetuntur seu declinantur, ad rationis normam dirigantur, mens humana est in causa, quæ corpori vivo intime conjuncta, illi imperat, quæ a sensibus hauriuntur res singulares in memoria asservanda curat, data occasione per ingenium similitudines rerum comparat, ex illis, quæ Philosophis dicuntur, notiones format generales, & ne appetitus ille sensitivus obbrutescat, efficit.

Ex influxu igitur jam dicto Phifico mentis in corpus, illa *divinatio* ejus existit. *quæ est iudicium intellectus de futuris contingentibus probabile, ex comparatione antea actarum rerum cum presentibus ortum.* Facile itaque quis animadvertet, mihi sermonem esse de divinatione naturali, non de superstitione. Quæ ergo a mente humana prædicuntur, vel intellectui tantummodo subsunt, vel ex sensibus cognitæ, cum (ut paulo ante probatum) in memoria servatæ & per imaginationem representatæ, menti per ingenium comparatæ sistuntur, ab illa NB. *non examinantur solum, sed quid etiam futurum, format, ex antea actis ejusdem generis & presentibus, argumentis, probabiliter concluduntur.* Quapropter ex hac etiam mentis operatione, quam quilibet, paululum si attenderit, in se ipso esse, animadvertet, arctissimam animam inter & corpus intercedere unionem, elucebit. Disputaturo autem mihi jam jam de mentis facultate divinandi varia ejusdem obveniunt genera, quæ a Celeberr. *Gentzkennio* in duo divisa, in quinque distribui posse reperio.

Primum versatur circa res Physicas. Ex signis enim, quæ aut in animantibus, aut in coelo observamus, & in ipso corpore nostro sentimus, quæ futura sit tempestas (quæ Virgilius lib. Georg. I. a versu 351

ad 392 recenſet) qua valetudine ſimus uſuri, anſquirimus, de his autem omnibus, ſenſibus quæ capiuntur, experientia edocti, futura prædicimus, id quod raro nos fallere ſolet; præſertim vero ex habitu corporis humani, & membrorum proportione, ex oculis, eorum obtutu, ſuperciliorum aut contractione aut remiſſione, de hominis ingenio probabiliter iudicamus, & ipſius fata proſpiciamus.

Alterum genus eſt, quod ſpectat ad actiones humanas, ex quibus, ſi ad morum regulas eas examinaverimus, eas aut feliciter ceſſuras, aut adverſo fortunæ flatu uſuras, conjecturam capimus. Exemplo nobis ſunto illi, qui a blandis illis dominabus, voluptatibus ſcilicet, a virtute ſe detorqueri patiuntur, ut illis quævis mala ominemur, exemplis ejusdem generis convicti, iudicamus, unde etiam pleraque proverbialia ſunt enata.

Tertium divinationis genus hiſtoria nobis ſuppeditat, dum, quæ ante geſta ſunt cum præſentibus comparantes, de regnis, de provinciis, earum potentia, bellorum exitu, de revolutionibus, & quæ huc ſpectant, ſed probabiliter futura auguramur; ſicut eſt in proverbio; ſicca morte non perire Tyrannos, quod in Nerone & aliis ſe verum probavit, contrarium autem illi exemplum Cromwellius Angliæ Tyrannus præbuit.

Quartum genus eſt, cum noſmet ipſos intime cognoſcentes, & ea quæ nobis acciderunt in quibusvis caſibus, abſque præiudicio ponderantes, de fato noſtro ejusdemque genere, ſumus ſolliciti. Quod quamvis non accurate ex certo cogitatione aſſequi aut præſagire poſſimus: attamen, ut actiones noſtras ad prudentiæ & virtutis regulas accommodaremus, perquam utile foret, ne ſæpius andabatarum in morem pugnantes ipſi nobis adverſam fabricaremur fortunam.

Reſtat, ut de quinto divinandi genere agamus, quod quidem poſitum eſt in noſtræ mentis cum aliis ſpiritibus commercio, id quod ex ipſius mentis natura negari non poterit. Animus enim noſter, cum ſit verus ſpiritus, ei que omnia, quæ per eſſentiam de ſpiritibus dici ſolent, competant attributa, quis etiam menti, cum ejusmodi ſubſtantiis, quibus per naturam æqualis eſt, communicationem idearum intercedere negabit? cum id gentiles Philoſophi cognoverint, ut Plato in Theage ita Socratem inducit loquentem: *ἔσι τε τῶλο δαιμονίῳ Φωνῇ, ἢ ὄταν γένηται, ἀέθ μοι σημάνει, ὅ ἂν μέλλω πράττειν ἴδῃς ἀποροπῆν, προρέπει δὲ ἐδ᾽ ὁσῆε* &c. i. e. hoc vero eſt vox dæmonis (ſeu ſpiritus) quæ cum fit, ſemper mihi ſignificat, quid ſim acturus, dehortationis gratia, adhortatur (ſeu ſtimulat) vero nunquam, (de quo genio Socratis perelegantem orationem & eruditiffimam, typis expreſſam, quondam habuit Celeberr. Dominus Samuel Reimarus, Hamburg. Gymnaſ. Profeſſor, tunc hujus Lycei Reſtor ut Fideliffimus ita Meritiffimus, commilito noſter olim Svaviſſimus.) Sed hoc extra dubitationis poſitum eſſe aleam, ipſa Sacra Pagina diſerte teſtatur, nobis enim, dicit, ad eſſe aut S. S. Spiritum ideas in nobis de rebus ad ſalutem æternam ſpectantibus formantem, aut angelos ſanctos bona quævis & utilia nobis ſuggerentes, aut cacodæmonem, quorumvis vitiorum imagines nobis exhibentem. Quod autem, quia ſpiritus verus in vero ſpiritu operatur, ut per ideas ita dictas abſtractas fiat, neceſſe eſt. Ex noſtro igitur cum reliquis ſpirituum generibus commercio exiſtit illud, ut ſæpe actiones ſuſcepturi, neſcio quo modo

ab

ab iis perficiendis detineamur; quin interdum moeror quis animum nostrum mire torquet, nosque praesentimus futura mala, quae, quomodo nobis sint eventura, nulla assequi possumus cogitatione, absentium etiam amicorum, & propinquorum praesertim eorum, quibus cupimus & quos caros habemus, mala simul persentiscimus, unde tristitia nos habet, cujus causam allegare non valemus, usque dum postea causa moeroris nobis literis aut nunciis significetur.

Sed tantum de facultate mentis futura praesciendi. Hanc autem gentilibus Philosophis non fuisse improbatam, patet. Siquidem Cicero Lib. Offic. I. Cap. IV. *hominem, quod rationis particeps sit, per eam consequentia cernere, causas rerum videre, earumque progressus & antecessiones non ignorare, similitudines componere, rebusque praesentibus adjungere atque annectere futuras* &c. diserte testatur. Aristoteles Lib. de divinatione per somnum Cap. I. dicit: *ἀνάγκη δ' ἐν τῶν ἐνύπνια ἢ ἀίτια εἶναι, ἢ σημεῖα τῶν γιγνομένων, ἢ συμπτώματα ἢ πάθη, ἢ ἐνιαύσιων, ἢ ἐν μόνον, i. e. Necessae est insomnia vel causas esse, eorum, quae fiunt, aut accidentia, vel omnia, vel aliqua, vel unum solum.* Xenophon in memorabilium lib. I. Socratem Praeceptorem ab inimicorum calumniis defensurus, de eo fatetur: *καὶ μαντικῆ χράμενος, ἐκ ἀφανῆς ἦν. Διεδούλλετο γὰρ, ὡς Φαίη Σωκράτης, τὸ δαιμόνιον ἐαυτῷ σημαίνειν* &c. i. e. & divinatione usum, non adeo occultum erat. Pervulgatum enim erat, Socratem dicere, daemionium ipsi futura significare.

Haec allegasse sufficiant, cum plura mihi essent in promptu. Ex quibus patet, ethnicos de mente humana plane alienum ab essentia ejus formantes conceptum (dum aut particulam essentiae divinae, aut subtile quoddam corpus, aut ex atomis conflatum & post fatum in eos resolutum iri, affirmarunt mentem) de illius facultatibus diversimode admodum sensisse, unde etiam, cum ex sua ipsorum natura se futurorum praesciendorum cupidos nosset, nec ejus modum aliqua saltem ratione investigare possent, ad ejusmodi divinationum genera sunt delapsi, quae liqvido aut superstitionem absurdam, aut animi heberudinem, aut ipsum atheismum, aut politicum quendam plebem fascinandi dolum produunt, dum per Oracula (in quibus aut fraus sacrificulorum suberat, aut ipse satanas interrogantes eludebat) auguria, auspicia, Sibyllas (de quarum vaticiniis Erasmus Schmidius de Sibyllis libro pererudite tradit) futurarum rerum cognitionem ancquirebant. Ex quibus divinationum generibus homines vel delirantes vel superstitiosi stolidas illas scientias, Chiromantiam, Geomantiam & hujus furfuris plures fingere, suum induxerunt in animum. Veruntamen hinc elucet, mentem humanam non per se tantum, & ex commercio cum aliis spiritibus, sed etiam dum corpus suum vivum dirigit, futurorum per sensus esse quam cupidissimam.

Sed plura in hanc rem disputare, meum hanc ob causam non erit, ne longior sim quam par est, & instituti limites transgrediar. Funduntur enim jam jam hic loci preces ad Deum T. O. M., nuncupantur vota, Regnum Svecicum, Provinciae omnes, quin & nostra Wismaria, in laetitiam sunt effusae, & felicissima sibi fata ominantur, ex quo, Moderante Summo Numine

CELSITUDO REGIA,  
 SERENISSIMUS PRINCEPS AC  
 DONINUS,  
**ADOLPHUS FRIDERICUS,**  
 REGNORUM SVECICI ET GOTHICI PRINCEPS  
 HÆREDITARIUS &c. &c. &c.  
 DOMINUS NOSTER AC PRINCEPS REGIUS  
 CLEMENTISSIMUS,  
 THORI REGII SOCIAM FELICISSIMIS AUSPICIIS NACTUS EST,  
 CELSITUDINEM REGIAM,  
 SERENISSIMAM PRINCIPEM AC DOMINAM,  
 DOMINAM  
**LUDOVICAM ULRICAM,**  
 PRINCIPEM REGIAM BORUSSICAM &c. &c. MAR-  
 GRAFFIAM BRANDENBURGICAM &c. &c.  
*AUGUSTISSIMI ET POTENTISSIMI*  
 PRINCIPIS AC DOMINI,  
**FRIDERICI WILHELMI,**  
 BORUSSORUM REGIS ET ELECTORIS  
 BRANDENBURGICI  
 GLORIOSISSIMÆ MEMORIÆ  
 PRINCIPEM FILIAM  
 REGIARUM PRINCIPUM FACILE DECUS,

\* \* \* \* \*  
 \* \* \* \* \*  
 \* \* \* \* \*  
**Q**uantum hoc Regio Conjugio non impræsentiarum solum, sed & in  
 postera secula nobis additum fuerit felicitatis perennis, nemo est, qui  
 non perspiciet. Habemus enim Regium Successorem Serenissimum, qui  
 nostras mentes plane Sibi reddidit suas, id quod in recenti adhuc versatur  
 memoria. Cum enim anno elapso Tantis Princeps nostra ingrederetur  
 moenia, vidimus illum, videntes mirati sumus, mirati devotissime suspe-  
 ximus


ximus, suspicientes quolibet venerationis genere pro virili nostro fumus profecuti Nostrum Jo! Adolphum Fridericum, qui nemine a facie sua dimisit tristem. Imago tam Gratosissimi Principis adeo imis omnium sensibus hæret, ut hæc de divinatione mentis paucula commentari, mihi ansam suppeditaverit, cui tam raræ admodum indolis Principem attentius paulo contemplari, id felicitatis contigit. Infixus adhuc menti est totus corporis habitus ad Majestatem præ se ferendam a natura ipsa adaptatus; qui jam olim omnibus Illum aspectantibus fuit indicio, Illum omnium hominum superaturum esse conditionem, & Regiæ Majestatis impostherum ascuturum fastigium. Vultus Illius Herõa plane referens, omnes in admirationem rapuit. Cum oculi vero indices sint ingenii, eorum se jamdum animo meo ficit imago. Lumina enim Illa cæcia, directos eosque lucidos cum maxima svavitate emittentia radios, albo cum nitore circumqvaque resplendescebant, id quod magnam judicii vim & ingenii, magnitudinem animi cum Clementia conjunctam, manifeste ostendit. Quod ad virtutes plane Regias attinet, quis est, qui non ex tanta Ejus pietate, sapientia, prudentia & clementia, quarum virtutum omnium non simulacra, sed veram indolem in Serenissimo Principe perspeximus, omnesque nos illæ non solum, sed omnem etiam Sveciam & Gothiam maxima affecerunt admiratione, summam caperet voluptatem, & pro Optimo nostro Principe preces ad Deum T. O. M. funderet ardentissimas? Cum vero in historiis memoriæ sit proditum, Sacerque testetur Codex, pietatem sapientiæ, qui junxerunt Principes, eos omnis generis felicitate esse perfruitos, certi etiam fumus, Serenissimo nostro Adolpho Friderico faustissima eventura esse fata, quæ cognito illi devote fumus apprecati. Vota itaque quod nostra non fuerint irrita, Felicissimum, quod Serenissimus Adolphus Fridericus cum Serenissima Regia Principe Ludovica Ulrica contraxit & consummavit conjugium, manifeste demonstrat, siquidem de hoc Principum Regiarum Decore, ex Gloriosissima Regum Borussicorum Domo procreata, quid aliud nobis affirmatur, quam Pietate, pulchritudine omnibusque & animi & corporis dotibus Illam esse quam Ornatissimam, nosque impostherum veneraturos devotissime, omnium virtutum exemplar, Alteram Ulricam Eleonoram, Principem vere Regiam, Patriæ Matrem Clementissimam. Fortunatissimus sit itaque Serenissimorum Conjugum ingressus Holmiam Suam Metropolin: Summum Numen Auspicatissimo huic Conjugio benedicat, illudque in seram usque canitiem, juncta omnis generis felicitate perenni & non interrupta perdurare sinat; suscipiant Serenissimi Conjuges Principes Sobolem lætissimam; Serenissima & Regia Domus continuata Maximorum Principum Posteritate ad seculorum finem extendatur, & quicquid mens fausti concipere potest, quicquid ominari, illud omne in Serenissimum Principem nostrum Regium, in Serenissimam Principem Regiam nostram largissimo cum foenore redundet.

Ut autem ea, quam tota Civitas mente fovet, Submississima Pietas, publicis votis declararetur, jussu atque auctoritate Amplissimi Senatûs, me auctore, Lycei nostri primæ Classis alumni actu solemni Musico-comico, quid omnes sentiant, pronuntiabunt. Juvenum Ornatissimorum, qui hac in re, ut industriam, ita pietatem suam & devotionem fecere testatam nomina, seqvens Catalogus exhibet:


Casparus Severin Danckeroda Halberstadenfis.  
 Wilhelmus Casparus Limpricht, Erfordienfis.  
 Henricus Gotthardus Langkopff, Lubecenfis.  
 Ehre Gott Christianus Enghart, Wismarienfis.  
 Ernestus Fridericus, Bevernitz Rühna-Megapol.  
 Johannes Anders, Wismar.  
 Johannes Ditericus Casparus Siebeth, Wismar.  
 Fridericus Henricus Schmidt, Schwigerovia-Megap.  
 Carolus Elias Johannes Lentz Metela-Megap.  
 Ericus Henricus Peterfen, Wismar.  
 Christianus Laurentius Kräpelin, Gallentino-Megap.  
 Christianus Ludovicus Henricus Bavernitz Rühna-Megap.  
 Jacobus Frid. David Nobiling, Warnovia-Megap.  
 Augustus Frid. Wienecke, Levina-Megap.  
 Gabriel David Enghart, Wismar.  
 Gottfried Henricus Hinze, Wismar.  
 Joh. Carol. Wilde, Bartenfis-Pomer.  
 Christian Frid. Bassau, Wismar.  
 cui actui Solemni ut O. O. Mæcenates, Patroni Fautores, Collegæ, Ami-  
 ci, & quotquot literis & profectibus juventutis Scholasticæ favent, adesse,  
 illumque præsentia Sua Honorificentissima Celebriozem reddere  
 velint & Illustriorem, est, quod eos Observantissime  
 rogo & flagito.











CELSITUDO REGIA,  
 SERENISSIMUS PRINCEPS AC  
 DO  
**ADOLPHUS** **DERICUS,**  
 REGNORUM SVECIC THICI PRINCEPS  
 HÆREDITA &c. &c.  
 DOMINUS NOSTER NCEPS REGIUS  
 CLEME US,  
 THORI REGII SOCIAM FELI LUSPICIS NACTUS EST,  
 CELSITUD GIAM,  
 SERENISSIMAM PRII AC DOMINAM,  
 DOM M  
**LUDOVICA** **ULRICAM,**  
 PRINCIPEM REGIAM E CAM &c. &c. MAR-  
 GRAFFIAM BRAN ICAM &c. &c.  
**AUGUSTISSIMI** ENTISSIMI  
 PRINCIPIS DOMINI,  
**FRIDERICI** **HELM,**  
 BORUSSORUM RI ELECTORIS  
 BRAND CI  
 GLORIOSISSI DRIÆ  
 PRINCIPES LIAM  
 REGIARUM PRINC CILE DECUS,  
 \* \* \*

Quantum hoc Regio Conjugio n  
 postera secula nobis additum fi  
 non perspiciet. Habemus enim Re  
 nostras mentes plane Sibi reddidit fu  
 memoria. Cum enim anno elapso I antus Princeps nostra ingrederetur  
 moenia, vidimus illum, videntes mirati sumus, mirati devotissime suspe-  
 ximus

